

fertur recta, quod ipse impellit. Adde illa, quae de rotis dicuntur: Quocumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu & rota pariter elevabantur, sequentes eum: Spiritus enim vite erat in rotis. Tota igitur Evangelica Quadriga & fulge-

rante Spiritus sancti igne, & vehementi ejusdem afflatu agebatur, agitabatur, & in tot motus ac loca rapiebatur, ut Christi nomen & gloria per Apostolorum praedicationem universo orbi innotesceret.

Verf. 38. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam.

Verf. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus; & consilium illius ab abyfso multa.

ARGUMENTUM.

Evangelicae Sapientiae incomprehensibilitas.

Cum Evangelica Doctrina quinque sit decantatissimis illis fluminibus aqua exuberantibus assimilata, imò illis multo latior & augustior extet; satis consequenter subinde deducitur, ejusmodi esse Christianae sapientiae amplitudinem, sublimitatem, profunditatemque ut mens nulla humana, praeter divinam, queat illam perfecte comprehendere. Cujus incomprehensibilitatis ea bona assignantur ratio, quod sapientiae Evangelicae principium, unde ipsa fluit & exundat, sit plane interminum, & immensum divinitatis mare; à quo doctrina ipsa Evangelica, ac Lex gratiae habent infinitam quamdam profunditatem, quam nemo, nisi Deus, suo possit exhaurire intellectu.

TEXTUS ENODATIO.

2323 **T**igurina sic transfert: primus eam non pervenit exacte, non item pervestigabit ultimus. Nam abundantior mari est intellectus ejus, & consilium ejus profundo immensus. Syrus. Syrus verò ita: Non absolvent antiquiores sapientiam, nec posteriores comprehendent eam. Quia pra mari magno multiplicata est sapientia, & cogitatio pra abyfso multa. Joachimus Camerarius: Nec vixit homo, qui perdidicerit, aut exhauserit, neque unquam nascetur qui omnia in eo penitus perscrutatus sit. Sententia ejus opulentissima, & inexhausta ut mare, & verba ejus altiora abyfso. Ubi observa, primò, proverbialiter dici, nec primus, nec ultimus, id est, nemo, vel ex antiquioribus, vel ex recentioribus; nemo vel hucusque natus, neque in posterum nasciturus. Deinde, in illis verbis, A mari abundavit cogitatio ejus, & consilium ejus ab abyfso, particulae à & ab solent sumi pra, vel plusquam, comparationi servientes: atque ita sumunt praefatae translationes. Vide exempla aliquot 3. Reg. 14. 21. Pl. 137. 5. Ezech. 16. 52. Luc. 18. 14. Defendit hic justificatus ab illo, id est, pra illo, magis quam ille. Si ita particulas illas accipias, sensus erit: Evangelicam sapientiam, & in ea resplendentem Dei cogitationem, & consilium, pra mari abundare, & profundam esse, ac pra abyfso, quae fundo carere videtur. Ita ferè omnes interpretes. Si verò particulas à, & ab, juxta propriorem significationem capias; sensus erit quem in Argumento dedimus, & sapienter exprimit Palacius ita: Placet sensus hic litterae. Sapientia Evangelica à mari divinitatis ortum habet, & ideo consilium ejus ab eadem divinitatis abyfso. Quis igitur,

nisi Deus eam cognoscet? Uterque sensus admitti potest, & sibi omnino consonat. Nam ideo Evangelica sapientia plusquam mare, & abyfsum, profunda est, quia Deus auctor illius extat: atque adeò, solus ipse perfecte illam novit: Qui perficit primus scire ipsam, id est, perfecte scit.

TEXTUS ILLUSTRATIO.

SECTIO VI.

Evangelica Doctrina, sive scripto, sive voce prolata, divinum aeterni Verbi naturam, & attributa emulatur.

2324 **I**nde evincit Siracides noster Evangelicae sapientiae incomprehensibilitatem, unde illius evincitur dignitas & excellentia; nempe ex principio, à quo promanat, Deo utique optimo maximo, qui est inspirati Verbi, sive Sacrae Scripturae, praecipuus auctor, imò & princeps objectum, & argumentum. Tanta est Dei perfectio, ut ad plenum illam pervestigare creato impossibile sit intellectui: solus ipse seipsum potest comprehendere. Ea est Evangelicae Doctrinae profunditas, tantam in se continet arcanorum multitudinem, & tam abstrusa mysteria, ut nullus, praeter Deum, exhaurire illa ullatenus valeat. Certè divinitatem quamdam inspiratum Verbum pra se ferre, & Verbum quoddam esse aeterni Verbi aemulum, jure merito dixeris: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Sic appellat Christum Dominum, quia Deus est, & unigenitus Patris Filius, ei coaeternus & aequalis: notionale & personale Dei Verbum; quod in tempore emanavit ad homines per sermones sacrae Scripturae, seu Verbum scriptum & voce prolatum; ut sic Dei Patris voluntatem nobis annuntiaret; hoc enim Verbum prodit ab aeterno illo Verbo velut radius à sole, aqua à fonte, flumina à mari, calor ab igne; imò ab ipso Patris intellectu, unde Filius ab aeterno ut Verbum substantiale prodit, prodit in tempore Evangelicum Verbum, quasi illam aemulans aeternam aeterni Verbi generationem.

2325 De nostro aeterno Verbo interni imagine aiebat S. Basilius apud S. Thom. in cap. 1. Joannis: Habet Verbum nostrum exterius divini Verbi similitudinem quamdam; nam nostrum verbum totam declarat mentis conceptionem; quae namque mente concipimus, ea verbo proferimus. Haec de nostro externo Verbo affirmat Basilius, quid de sacra Scriptura, quae est, non hominis, sed Dei ipsius Verbum exprimens non humanae, sed divinae mentis conceptionem. Ea enim, quae mente sua Deus

Deus ipse concepit, inspirato divinarum litterarum verbo protulit. Solo interno, & aeterno suo Verbo ea nobis exprimere non poterat, quia incapaces sumus tantum sustinendi verbum; aliud, sed omnino simile, protulit verbum, ut suam exprimeret mentem, externum nempe Sermonem, qui ea propter pra se fert aeterni Verbi similitudinem, non vulgarem, sed singularem; quandoquidem singulariter aemulatur in exprimendo externè mentem divinam, internam aeterni Verbi expressionem.

2326 Hinc putaverim, ex interno Dei Verbo aeterno, & ex ipsius Dei verbo externo, in sacris contento Scripturis, unum quasi concinnari Verbum, ac veluti suppositum, cum idiomatum quodam inter se communicatione; per simile ei, quod ex personalitate Verbi, & humana nostra natura assurgit per univocam hypostaticam. Solent Patres mysterium Incarnationis explicare desumpta similitudine à verbo nostro interno per externum verbum, sive vocem & scriptum sensibilibiter nunciatum. Audi Augustinum tom. 3. libro 15. de Trinitate capite 11. Verbum nostrum vox quodam modo corporis fit assumendo eam, in qua manifestatur sensibus hominum; sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam, in qua & ipsum manifestatur sensibus hominum. Similiter libro primo de Doctrina Christi capite 13. Et S. Thomas in Catena ad cap. 1. Joan. haec refert ex gestis Concilii Ephesini verba: Sermo, quem proferimus, quo in alterutris locutionibus utimur, sermo est incorporeus non aspectui subiectus, non tactu tractabilis: sed cum sermo induerit litteras, & elementa, visibilis fit, aspectu comprehenditur, tactu tractatur; sic Verbum Dei, quod naturaliter invisibile est, visibile fit, & quod natura incorporeum est, invenitur esse tractabile. Rufus S. Athanasius in Quaestionibus, quaest. 4. & S. Gregorius Nyssenus Epistola contra Apollinam, quae est de imagine, & similitudine, ut explicent duas Christi Domini generationes, aeternam ex Patre, & temporalem ex Matre, duplicem expendunt verbi nostri interni generationem, seu nativitatem, alteram incorpoream ex anima, ex corde, ex intellectu; alteram corpoream ex ore, ex labiis. Verba illorum dedimus supra n. 334.

2327 Ex his igitur sic liceat rem nostram illustrare. Vel ante ipsam aeterni Verbi Incarnationem, Incarnationis mysterium per externum Dei verbum arcanè adumbratum. Nam sicut verbum nostrum internum sibi induens verbum externum, sive vocem quoddam modo corporatur, & incarnatur novà quadam generatione, quae est terminetur ad vocem, sufficiens tamen est, ut ab illa dicatur internum verbum duplici gaudere generatione, & ex duobus verbis, interno & externo, unum fieri, & unum quasi suppositum. Ita omnino similiter aeternum internumque Patris Verbum, dum voces, sive verba externa sibi assumit, & induit, ut internam suam mentem hominibus manifestet, quodam modo corporatur, & incarnatur per novam quamdam generationem, sive nativitatem; quae licet ad verba ipsa externa terminetur, cum haec sint verè ipsius Dei verba, sufficiens erit ut ab ea dicatur aeternum verbum veluti iterum nasci & generari; & ex utroque verbo aeterno & temporali unum

quasi concinnari verbum, unumque suppositum, eum aliquali idiomatum communicatione. Quò spectare reor solemnem illam Prophetarum Epigraphen sacris vaticinis inscriptam: Verbum Domini, quod factum est ad Oseam. Osee 1. vers. 1. Verbum Domini, quod factum est ad Michaeam. Mich. 1. v. 1. & alibi Mich. 1. 11. Hic per Verbum Haymo & nonnulli alii Filium Dei intelligunt, aeternum Patris Verbum; quod factum dicitur, seu corporatum, assumendo verbum externum & sensibile; simili ratione, qua apud Joan. cap. 1. dicitur; Verbum caro factum est.

2328 Commendans nobis Incarnata Sapientia aeternam suam generationem, qua à Patre procedit, ait apud Ecclesiasticum capite vigesimo quarto. Ego ex ore Altissimi prodivi. Vel juxta translationem à nobis supra laudatam: Ego ex corde Altissimi prodivi. Ex Paterno nempe intellectu, Psalmo quadagesimo quarto. Eructavit cor meum Verbum bonum. Atque ex Dei ore & corde singula sacrae Scripturae verba procedunt. Ideo Prophetarum solent in sacris libris, os Dei appellari; quia Prophetarum ore Deus, & Dei ore Prophetarum loquebantur. Itaè primo capite, v. vigesimo. Os Domini locutum est. Et capite trigesimo, versu secundo: Os meum non interrogastis. LXX. vertunt: me non interrogaverunt. Chaldaeus; verba Prophetarum: alii communiter explicant: Prophetam non interrogastis; qui os meum est, per quem ego loquor; qui aliter ego est, quasi ipse loquens, per me loquatur, & ore non suo, sed meo, verba faciat sacra divina. Eodem sensu ex Dei corde prodire inspiratum Verbum, probari potest ex illo Psalmo quadagesimo quarto, Eructavit cor meum Verbum bonum: loquitur enim Vates ex persona Dei producentis non solum aeternum suum Verbum, sed illud etiam, quod Prophetae suis inspirabat. Et 1. Regum 2. versu 35. appellatur sacra Scriptura Dei cor & anima, juxta Gregorii ibi interpretationem; nam ob id tantum quòd in ea cor & anima Dei custodiatur in sacerrimo thesauro & sacrario divinitatis, sed quia ex Dei corde procedit ut verè ipsius Dei Verbum, quod aemulatur aeterni Verbi ex corde & ore Paterno generationem.

2329 Audio Evangelistam Joannem sic loquentem capite primo, versu decimo octavo: Deum nemo vidit unquam; unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. In sinu Paterno esse Christum Dominum perinde est, atque ei referari omnia Patris secreta, omnia consilia patere ob identitatem ejusdem naturae & substantiae. Sed quid est, ipse enarravit nobis? Certè de Evangelica doctrina sermo est, & praedicationis verbo, quo Mundum illuminavit, & obstrusa aperuit mysteria divinitatis. Bene hoc sit. Ceterum rogo; quorsum, ut haec enarraret suo Evangelico Verbo, in sinu Patris esse dicitur? Opportunè quidem & arcanè; ut ostendatur tum Christum à sinu Patris habere quod aeternum Verbum ipse sit, in quod Paterni cordis arcana transmittantur; tum etiam praedicationis verbum, quo tot tantaque mysteria hominibus ipse patefecit, ab eodem sinu veluti generari & nasci: inde videtur trahere externum Evangelicae doctrinae verbum, unde habet quod aeternum

Augustin.

Incarnationis mysterium.

Concil. Ephesin.

Joan. 1. 1.

Verbum Dei aeternum quasi fieri & incorporari dicitur per verbum externum.

In sinu Patris Christus esse dicitur, cum Mundum instruit Evangelico Verbo, ut hoc ab eodem Paterno sinu procedere intelligatur.

1. Thessal. 2. 13.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

1. Reg. 23.

Joan. 7. 16.

num sit Verbum: Ex ore Altissimi, ex corde ex sinu Patris. Subinde Christus Joan. 7. 16. Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Quod verum est de Christo, & qua homo & qua Deus extat. Suam dicit Evangelicam doctrinam, quia ipsi inest; non suam, sed Patris, quia ab ipso accepit, cum illum misit, illum generans, & per generationem in illum transfundens omnes scientiae thesauros, omnia & singula Christianae doctrinae verba.

Chrysof.

2330 Sed dices: Nonne Moyses, nonne Prophetæ nobis enarrarunt ea omnia, quæ à Christo enarrata dicuntur, nec tamen in sinu Patris erant? Enarrarunt quidem, sed obscure sub umbris, sub figuris, sub ænigmatibus. Christus autem perfectè & aperte. Enarrarunt illi, sed quod enarraverunt (ait Chrysofomus, est enarratum operatione Unigeniti.

Christus Prophetarum præses, & Archipropheta.

Hic enim Prophetarum Præses & Archipropheta fuit, ad quem spectavit Prophetas creare, prophetias dictare, dictatas exponere, ut fert communis Doctorum existimatio, & videtur clarere ex Isaia 52. 6. ubi divinum Patris Verbum perinde ac si hominem induisset, sic loquitur. Sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, Ecce adsum. Et quidem optimo jure sacra Scriptura divino Verbo id muneri attribuit, quia Verbum est, atque adeo illius est facti Verbi pro dignitate tractandi rationem gerere. Ut æternum Patris verbum in sinu Patris existens à Patre accipit omnes scientiæ thesauros; & ab eodem sinu trahit quidquid de Patris secretis & arcanis consiliis nobis enarravit externo Evangelicæ doctrinae verbo, quod Prophetis atque Apostolis dictavit; nisi enim æternum Verbum verba eis dictasset, linguam & calamus gubernasset, non Dei verba essent, sed hominum, non divina, sed humana verba.

Joan. 13.

2331 Unus pro exemplo nobis sit Evangelista Joannes, qui ut copiosos supereminens doctrinae lauces in Ecclesiam derivaret, prius recubuisse dicitur in sinu Jesu. Cur in sinu Jesu? In sinu Patris, dicebat ipse Joannes, unigenitum Filium esse, quia de secreto divinitatis per sempiternam emanationem accipit, ut Patris verbum, omnem intelligentiam. Sic Joannes in sinu verbi corporati fuit, ut inde per novam quasi emanationem omnes scientiæ thesauros, quos in Ecclesiam transfudit, hauriret, & secundum verbum æterno persimile produceretur, quo secretissima mysteria aperiret. Neque alius quispiam (ait Cæsius Gregorii Theologi frater 3. Dialogorum) incarnari Dei verbi ausus fuit attingere pectus, super quo Joannes recubuit: inde de verbo verbum hausit. Preme illud: inde de verbo verbum hausit. Quasi æternum verbum Genitor fuerit verbi, quo Deitatis arcana panderentur per Joannem, qui super fontem perennis vitæ recubuit, Ut ipse tunc (inquit S. Petrus Damianus serm. 1. de Evang. Joan.) supermanantia fluena divina doctrina hauriret, & eadem nobis postmodum propinaret. Vides unde emanaverit Evangelica doctrina? Non à Joanne, non à quovis alio Evangelista; sed ab æterno Dei verbo corporato, ab ejus sinu, tanquam verbum à verbo, & verbum quidem quasi æterni verbi naturam exprimens; non enim verbo Dei sublimando aliquid magè idoneum, quam alte-

Cæsius.

S. Petrus Damianus.

rum Dei verbum, divinum divino. 2332 Subinde inter Deum & Sacram Evangelicam doctrinam, nescio quam identitatem naturæ Canonici agnoscunt Scriptores. Psal. 14. 3. Ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Chaldaeus effert: Ut videat, num sit intelligens, qui quærat doctrinam. Psal. 33. 5. Exquisivi Dominum. Idem Chaldaeus: Quæsi doctrinam. Isaï. 1. v. 28. Et qui dereliquerunt Dominum. Chaldaice est; Qui dereliquerunt legem Domini. Et cap. 7. v. 13. Molesti estis Deo meo. Idem Paraphrastes: Molesti estis verbis Dei mei. Et cap. 9. v. 13. Dominum non exquisierunt. Chaldaeus; Doctrinam Domini non quæserunt. Quasi Dei doctrina idem sit cum ipso Deo. Quid mirum si ab aliquo sacra Scriptura nominata sit mundi sensibilis Dea, quandoquidem divinam æterni verbi naturam sic æmulatur?

2333 Ab hac sacra doctrina divinitate, illa promanat certa quædam divinitas, quam suis ipsa cultoribus communicat. Deos ex immortalibus facit, ajebat serio S. Justinus Oratione secunda ad Græcos. Et Clemens Alexand. in Exhortat. ad Gentes. Verè sacra littera sacros faciunt, & deificant. Hoc illud esse dixeris, quod Christus ajebat Joan. 10. 35. Nonne scriptum est in lege vestra: ego dixi: Dii estis? Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Argumentatur contra Judæos, qui blasphemiam notam ei inurebant, quod se Deum nominasset. Si illi, inquit, qui sermonis Dei participes fuerunt, Dii merito vocati sunt, quanto magis ego qui ipse Dei sermo sum Deus vocari possum? Ita explicant Augustinus, & Beda. Sed inde etiam arguitur conclusit S. Eucherius Homilia in Feria 4. post Dom. Passionis. Si illi dicuntur Dei, ad quos Dei sermo factus est, & ideo quidem Dii dicuntur, quia sermonem Dei custodiunt, quare non magis ipse sermo Dei dicatur Deus? Huc revoces illum candentem calculum pyropo similem, aut etiam prunam, qua Isaiae labia tacta & inflammata sunt à Seraphino. S. Hieronymus, S. Basilus, Haimo, & alii per calculum accipiunt verbum Dei ab Altari petatum, id est, à sacra Scriptura. In calculo (ait Hieronymus) divini sermonis veritas & rigor, in carbunculo ejusdem lucens doctrina manifeste ostenditur. Sed illud expendas, quod vates post admotum illius labiis calculum, quasi & jam lingua esset soluta, & verba suppetent, clamavit; Ecce ego; mitte me. Ubi S. Basilus legit & explicat: Ecce sum ego; fiducia jam fretus, quasi particeps illius essentia seipsum adnumerat his, qui in consortium venerant illius essentia. Cum Dei sit propria illa nomenclatura: Ego sum qui sum; eam sibi assumit opportunè Vates, cum ad illum sermo Dei factus est, quasi à Dei sermone, seu verbo accepit deificationem & divinitatem. Verè igitur divinum verbum divinos efficit, & Dei sermo deificat, quasi Numen quoddam sit.

2334 Certè, ut tali debetur ei divina observantia, omnis religio, cultusque divinus. Olim fideles astantes, discooperto capite Dei verbum audiebant, ut notat S. Augustinus tom. 10. Hom. 26. Et astantibus audiendum esse verbum Dei docet Gregorius lib. 27. Moral. ad illud Job 37. Ausculta hæc Job, sta, & considera. Et ad Ezechielem Deus c. 2. 1. Sta super pedes, & loquar tecum. Et ad Jeremiam cap. 1. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge.

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Hanc

Nu. 23. 22. Judic. 4.

Hanc divino verbo, sacrisque Scripturis debitam reverentiam, quasi alicui Numini, vel ipsi etiam Ethnicis agnoverunt, & exhibuerunt. Num. 23. 22. loquens Balaam ad Balac Regem Moabitarum; Sta, inquit Balac, & ausculta. Et Judic. 4. Cum Eglon Rex Moab audisset ab Aod, Verbum Dei habeo ad te, ut audiret, statim surrexit de throno. Et Josephus lib. 22. Antiquit. c. 2. scribit de Ptolomæo Philadelpho Rege Ægyptiorum, cum sacros libros ex Hebræo in Græcum à LXX. translato accepisset, volumem illud, quasi Numen aliquod adorasse.

Augustin.

2335 Hinc illa S. Augustini, sive S. Cæsarii, lib. 50. Homiliarum, Homilia 26. celebris sententia, quam jure Gratianus in jus Canonicum retulit. Interrogo vos, fratres, vel sorores, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei, an Corpus Christi? Respondet sapienter & piè admodum: Si verum vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quod non sit minus Verbum Dei, quam Corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat, tanta sollicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro pereat, ut non minus reus erit qui Verbum Dei negligenter audierit, quam ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permisit. Lege Eusebium in Constantino l. 4. c. 29. & 33. & Clem. Alex. l. 1. Stromat. sub initium. Et nostrum Cornelium in Proemio ad Pentateuchum Sect. 1. nu. 4. ubi probat, olim in templis duo secretaria à dextro, sinistroque latere absidis posita, in quorum altero sacra Eucharistia, in altero divina Scripturæ Codices asservabantur, & venerabantur. Forsan hanc ob causam uno eodemque Mannæ symbolo designatum videas tum Dei Verbum, tum Eucharisticum mysterium. Nihil apud Patres frequentius. Ne actum agam, lege Aloysium Novarinum lib. 1. sacrorum Electorum c. 8.

Quo cultu, quo cura tractamus corpus Christi, in altare debemus Verbum Evangelicum.

S. Justin.

Clemens Alexand.

Joan. 10. 35.

Eucher.

S. Hieron.

S. Basil.

S. Ambros.

S. Ambros.

S. Ambros.

S. Ambros.

S. Ambros.

S. Ambros.

assumpsit, figurari sacrum Sermonem, sive Evangelicam doctrinam. Ignis est Verbum Ignis rabi Dei, quem misit, qui secretos mentium divina ardore cognitionis inflammaret affectus. Hoc igne urebatur rubus, & non exurebatur. Urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris; non exurit, ut perdat. Divino igitur huic verbo, sacroque Sermoni, tanquam divino cuidam Numini, ut debitum cultum & reverentiam exhibeat, monetur Moyses. Quasi perinde sit, externum Dei sermonem revereri, atque æternum Verbum adorare.

2337 Denique ex his etiam deducitur Evangelicæ doctrinae, sive sacri sermonis incomprehensibilitas, quæ est unum ex æterni Verbi attributis; eam scilicet inesse ei perfectiorem, ut non nisi à divino velle ei perfectiorem, ut non nisi à divino velle comprehendatur intellectu: Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam. Solus Deus seipsum perfectè comprehendit; & solus ipse sacras exhaust Scripturas, & ad plenum noscit omnia in illis abstrusa mysteria. Tanta enim est illarum profunditas præ mari, præ abyssis: tam absoluta, nanque divina earundem perfectio, quam trahunt à divinitatis Oceano. Hinc Patrum locutiones propè infinitæ. Abyssus questionum Scriptura est, (ait Chryso-

stomus, Hom. 23. in Genesim) quoniam questionum nullus erit finis: ecce enim, si hanc solvero, mille acervos ostendam questionum. Et Homil. 2. perennisbus fluentis illam comparat. Quò quis plus inde fumpserit, hoc magis scaturiant. Et serm. 4. de Lazaro. Quò foderis altius, hoc magis exundant divini sensus. Fons enim est nunquam deficiens. Origenes ve-

ro Homil. 3. in Exod. Si ipsum quis contempletur divinum verbum quantum sit eruditionis, & quantumque sapientiæ, multo amplius quam apud nos sum pecudes, ipse apud Deum mutum se animal profitebitur. Arnoldus Carnotensis in præfat. ad Tractat. de 7. verbis Domini, agens de verbo Dei scripto. Et cum

propius accesseris, & infuderit sese tibi illuminans sensum tuum divina radius veritatis, intelliges & videbis in scintilla incendium, & in stilla reperies pelagus. Immenso mari Sacrum assimilant sermonem multi ex Patribus, S. Basilus Seleucus Orat. 6. Philippus Presbyter, præfat. in lib. cui titulus Luminaria Ecclesiæ, serm. 13. S. Greg. Mag. Hom. 6. in Ezech. S. Ambros. lib. 7. Epist. 44. & plures alii, qui omnes fatentur, Scripturæ sacre sensu ejusmodi esse, ut omnes omnium ætatum mortales ea exhaurire non valeant, ut perspicue testatur no-

ster Siracides; preme translationes supra in enodat. textus datas.

Arnoldus.

Arnoldus.

Arnoldus.

Verf. 40. Ego sapientia effudi flumina.

Verf. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvii Dioryx, & sicut aquæductus exivi de Paradiso.

ARGUMENTUM.

Per Jesum & Mariam Christiana sapientia derivatio.

UT indicaret Jesus Sirach plenissimam Christi doctrinam, ab illis fluminibus

mutuatus est exemplum, quæ præ aquarum copia intra claustra æstate contineri nequeunt. Nunc verò significantius declarat unde illa Evangelicæ sapientiæ flumina ortum trahant; nempe à Jesu, & suo etiam modo à Deipara, qui Matres eorum fluminum extant; & per